

fiat. Plura Lindembrog. in Gloss. verbo Casati. Hac prior pars reperitur in e. non causam, de emptio. Et vendit. Calus autem ita conigit. Abbas, & monachi S. Martini Viterbiensis aduersus eius quosdam ipsius civitatis, quibus venderant quaedam possessiones, apud Romanum Pontificem (qui etiam iurisdictionem temporalem in his civitatibus obtinet,) egerunt actione ex vendito ad rescindendam venditionem ob lesionem ultra dimidiam iusti pretii. Producti fuerunt testes ab utraque parte. Testes monachorum asserunt, monachos deceptos fuisse ultra dimidiam iusti pretii; testes vero Viterbiensium contrarium prorsus affirmabant. Innocentius inspectis, pu-

blicatitque attestacionibus pronuntiavit, monachos deceptos esse, atque ita venditionem rescindendam esse, vel pretium iustum supplendum esse ab emptoribus. Unde secunda pars orta fuit super vera possessionum aminatione tempore facte venditionis: indeque suborta est questio, an priores testes a monachis producti, quorum attestaciones publicatae iam erant, possint iterum produci in hac secunda questione? Et respondit Innocentius, eos admitti posse, quia non super eodem articulo, sed super diverso recipiuntur, quod prohibitum non est iuxta adducta in cap. fraternitatis 17. hoc tit. ex quo commentario patens petendum est.

C A P U T XLIII.

Idem.

Albericus miles nobis insinuare curavit, quod cum olim inter ipsum, & C. mulierem Ravennatem. coram Capitulo Ravennat. matrimonii quaelio vereretur, tandem exigente iustitia lata fuit divorcii sententia inter eos: postea vero didus miles duas diversis temporibus legitime sibi copulavit uxores, & filios ex eisdem suscepit: unde timens sibi ne filios ex eo possit praedictum generari, quod in scriptis non fuit sententia memorata, nobis humiliter supplicavit, ut super hoc paterna sibi sollicitudine praevenirent, testes qui sententiam interfuerunt praedictae, recipi facerentur. Quoniam igitur iusta petentibus favorem nos decet benevolam impertiri, m. quat. testes curatis recipere antedictos, ac depositiones ipsorum in scripturam publicam redigi faciat.

NOTAE.

1 a Idem. Nec ex hac, nec ex quinta collectione, ubi sub hoc tit. c. 1. reperitur hae decisio constat cum missa sit; existimo tamen in praesenti epistola scribere Innocent. III. Archiepiscopo, & Archidiacono Ravennat. ductus eo fundamentum; nam cum Capitulum Sede vacante (quod bis vacavit temporibus Innocentii nostri,) sententiam divorcii protulisset inter Albericum, & eius uxorem, ac de probanda ipsa sententia testibus ageretur, necessario ipsi Praesuli Ravennat. & eius Archidiacono, quia de ipsa causa cognoscere poterant, committi debebat.

2 b In scriptis redacta. Ex his verbis liquido constat, sententiam etiam sine scriptura prolatam valere: quod etiam probatur ex e. si quis cum clerico 11. q. 1. l. 2. c. de sentent. ex parte rescandis, ex Calixto in formula. Praesul. Prater, ibi: Verbo sententiam dicit, quid est quod non habent commissum,

cujus est ipse sermo iudicium. Nec contrarium probat textus in l. 3. c. de sent. relata in e. statuis 2. q. 1. ubi statuitur, non esse sententiam, nec nomen sententiae habere, quod in scriptis non sit: quod etiam docetur in e. fin. de re iudic. lib. 6. item quod acta iudicialia in scriptis conscribenda sunt, cap. quoniam contra, de probat. Igitur sententia in scriptis proferri debet. Nam respondendum est, discrimen esse constitutum inter sententiam interlocutoriam, & definitivam: inter iudicem ordinariam; & personas illustres, & magne dignitate constitutas. Sententiam interlocutoriam etiam voce quilibet iudex proferre potest, dummodo postea in scripturam redigatur: ac vero sententiam definitivam tantum persona illustres verbo proferre possunt, ut docent Guajacius in praesenti. Unde cum sententia prolata esset in praesenti a Capitulo Sede vacante, recte potuit verbo dici, dum postea per scripturam, aut testes probaretur; et si specialitatis rationem in praesenti causa a causa matrimoniali petat Alteserera hic.

C A P U T XLIV.

Idem Episcopo Belvacensi.

CUM in tua dicecesi. Et infra: Utrum autem si accusatore idoneo comparente, per tres, vel quatuor testes inter jam conjunctos parentela probetur, per depositiones eorumdem posteriorum testium derogetur fidei xi. vel xii. b propinquorum, qui antiquiores tempore, ac praestantiores meritis ante contractum matrimonium in contrarium juraverunt, distinguendo personas, & gradus, a quibus directe ii, de quorum copula agitur, descendunt; an prius posterioribus praesentantur, non immerito quari possit: quamquam autem ad aliud, & ob aliud juraverint illi, quam isti; si tamen in secundo iudicio priores personae juratae deponerent illa eadem, quae in primo dixerunt, abique dubio eorum testimonia praevalerent, nec eo possent praetextu repelli, quod partes e testificata didicerint, cum talis exceptio locum non habeat in hoc casu.

NOTAE.

1 Idem. Ita etiam legitur in quarta collectione, sub hoc tit. c. 2. & in e. cum in tua 30. de decimis, ubi integram epistolam dabimus. De Episcopo Belvacensi nonnulla noravi in e. 13. de foro compet. Calus autem Innocentio propositus in praesenti ita contigit. Cum ageretur de matrimonio contraheundo inter Petrum & Mariam, testes producti fuerant ex ipsa cognatione, qui asseruerunt, nullum inter eos impedimentum cognationis dari; sed cum postea matrimonio contracto diceretur non jure celebratum fuisse, & cum quaereretur, quinam testes praesentandi essent, priores videlicet, qui

impedimentum nullum superesse affirmarunt, an posteriores, qui inquam matrimonium dixerunt, respondit Innoc. III. posteriores praesentandos esse, ita tamen, ut si priores voluerint iterum testimonium dicere, illis fides adhibeatur. b XII. propinquorum. Propinqui enim admittuntur ad probandam consanguinitatem, quia melius agnoscunt ejus gradum, & lineam, quam alii, ut probavi in e. quotiens 5. hoc tit. c. Testificati didicerint. Licet publicatis attestacionibus, & didicisset testimonis testes recipi non possint, juxta textum, & ibi tradita in e. fraternitatis 17. hoc tit. tamen specialitatis ratione in praesenti specie etiam post didicita testimonia testes recipiuntur, ut omnes repetentes in praesenti notantur.

C A P U T XLV.

Idem Neapolitano Archiepiscopo.

Constitutus in nostra praesentia venerabili fratre nostro Alserio Archiepiscopo, & dilecto filio Mattheo Canonico b Surrentin. dum idem M. accusationis concepto libello eundem Archiepiscopum deserret de crimine simoniae, asserens nihilominus cum crimini laesae Majestatis obnoxio, eo quod, ut dicebat, eodem Episcopo machinante, Surrentina civitas a regia e fidelitate recessit, & reprobo juravit Othoni, ac ipsum Archiepiscopum excommunicatum celebrasse divina, cum post talem machinationem, per quam machinatores hujusmodi latam a Sede Apostolica excommunicationis sententiam a incurrerunt, divina praesumpserit e celebrare: Archiepiscopum antequam descenderet libellum sibi fieri copiam postulare, in personam accusatoris, quod esset inimicus, & conspirator, exceptis, allegans interdicendum ei aditum accusandi, cum secundum instituta canonica in iudicio, & g. conspiratores in nullis debeant accusationem admitti. Ad quod pars adversa respondit, quod cum tanta fit laesae simoniae pravitatis, ut ferri adversus dominos, & b criminosi quilibet admittantur; & in prodehendo crimine laesae Majestatis focus etiam, in iure factionis non solum auditur, quinimo praemio, & honore donatur, super praemissis exceptiones hujusmodi accusationem elidere non valeant, praesertim cum publica utilitatis intersit, ne crimina remanent impunita. Fuit autem ad haec ex adverso responsum quod cum in decreto j. Anacleti Papa caveatur expresse, accusatores esse non posse, qui ante hesternum diem, aut multiterius inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant, vel laesi ulcisci, & inof-

& inoffensus accusatorum quatur affectus, & non suspensus, ac constituto a Calixti Papa generaliter interdicta conspiratorem in alicujus accusationem admitti, nec in aliquo canone sit expressum, quod inimicus, ac conspirator in exceptis criminibus adiat, ne quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosius adinventionibus attentetur, circa praemissa prohibitionis standum est generali, praesertim secundum aequitatem canonicam, quae vix non debet malignitatis aperire. Inter haec autem de causis inimicitiarum, & conspiracionis Archiepiscopus interrogatus respondit, quod memoratus M. ipsi Archiepiscopo, & cum in Archidiacono, & cum in Archiepiscopum fuit assumptus, se opposuit adversarium manifestum. Praeterea cum quidam Neapolitanus fuisset mortem fratris Archiepiscopi machinatus, & per amicos ipsius eijceretur de propria civitate, quidam magnates, quos dicit Neapolitanus consanguinitatis linea contingebat, ejectionem illius ad injuriam reputantes, eundem inducere Mattheum, ut cum quibusdam aliis in damnationem ipsius Archiepiscopi conjuraret. Porro priorem causam non duximus admittendam, maxime cum reconciliatio fuerit subsequuta, prout ex narratione ipsius Archiepiscopi notatur. Super alia vero, quam inficiabatur M. fuit pro ipsius parte propositum, quod non est interdicta subjectis notabatur. Super in Praetatum, quia cum secundum decretum m. Gelasii Papa, quiscum clericorum confidere non debeat offensa Apostolica se immunem, si in iis, quae sequenda salubriter Apostolica depromissit auctoritas, Episcopum viderit excedentem, & non protinus ad aures Romani Pontificis deferre curaverit, in pestilentem Praetatum non immerito possunt conjurare subjecti: exemplo quadraginta Episcoporum n. Illyrica, ac Graecia, qui per promissionem in scriptis factam convenientes in unum, a Timotheo, qui per metum Imperatoris Anastasii fuerat in Constantinopolitanae asumptus Episcopus, discesserunt. Verum asserente Archiepiscopo, ex fomite malignitatis in eum conjurasse Mattheum, & hoc se legitime probaturum, ad ultimum consentientibus partibus sic duximus providendum, ut Archiepiscopus porrectum libellum accipiens, super objectis criminibus responderet, reservata sibi facultate probandi, quod idem M. ex malignitate conjuravit in ipsum. Libelli vero conceptio talis erat: In Nomine Domini, Amen. Anno Domini millesimo cc. xiii. Pontificatus Domini Innocentii tertii summi Pontificis anno xvi. mense Octobr. vii. idus ejusdem. Apud vos, Domine Innocenti, Dei gratia Summe Pontifex: Ego Mattheus Canonice Surrentinus defero Dominum Alserium Surrentinum Archiepiscopum lege canonica reum de simonia: quia dico ipsum promississe Archidiaconatum Surrentino. Joanni Ciroleon, olim Canonico Surrentino, ut consentiret electioni suae in civitate Surrenti, in camera juxta a trilinguam Episcopi, tempore Domini Celestini tertii summi Pontificis, mense Januarii. Item defero eum reum de crimine laesae Majestatis, quia civitas Surrentina recedendo a fidelitate regia juravit Othoni. In hoc hoc procurante, tempore Domini Innocentii III. summi Pont. in civitate Surrenti, in palatio suo, mense Maii. Et defero eum postmodum multoties celebrasse divina in Ecclesia Surrentina, cum per sententiam vestram credam eum ob hoc excommunicationis vinculum incurrisse. Ego dicitus M. profiteor me hunc libellum p. inscriptionis dedisse. Et Oblato tandem libello pars Archiepiscopi allegavit, quod erat minus legitime in quadam p. parte conceptus, eo quod non continebatur in ipso: quo anno fuerint crimina objecta commissa. Cum enim libelli conceptio continere debeat mensem, & consules, sub quibus crimen dicitur fuisse commissum: & antiquitus Consules constituerentur annales, videntur quod admitti criminis annus exprimi debeat in libello. Frustra respondit, quod cum in forma concipiendi libellum de anno non invenitur expressum; sicut nec dies: ita nec annus admitti criminis debet apponi, ne subornationi testium occasio praebatur. Nec propter hoc, quod in nono civili debent exprimi Consules, licet Consules essent antiquitus anni, sequitur quod certus annus sit exprimendus; cum idem Consul diversis vicibus, & pluribus annis gerere potuisset officium Consulatus; unde per expressionem nominis ejus de certo anno constare non posset. Et cum in denominatione mensis non constet, cujus anni mensis exiit, non ita per expressionem mensis, sicut & anni, ad subornandum testes occasio potest assumi. His autem, & aliis hinc inde propositis, cum ad ultimum accusator expresserit, Archiepiscopum eo anno commississe simoniae crimen obiectum, quo fuit Archiepiscopatum adeptus, promittendo Archidiaconatum Ecclesiae Surrent. I. Ciroleon, quondam Canonico Surrentino, si consentiret in ipsum, ac de tempore, quo praedicta civitas Surrenti, satis manifeste constaret, ad contestationem litis, inficiante Archiepiscopo crimina sibi opposita, est processum: confessus est tamen, quod postquam civitas juravit Othoni, multoties celebravit. Productis autem ex parte Archiepiscopi quibusdam testibus ad probandam executionem obiectam, cum hujusmodi protestatione M. scilicet quod post publicationem depositionum ipsorum, si vellet, posset objicere in personas, quia illis Archiepiscopus contentus esse volebat, depositiones ipsorum minime publicantes, receptionem testium, tam super principali, quam super exceptione praedicta, de consensu partium fraternitati tuae duximus committendam, per Apost. tibi scripta mandantes, quatenus testes, quos utraque pars duxerit producendos, diligenter examines, & eorum dicta conscripta fideliter ad nos sub tuo conclusa sigillo transmittas, praesens partibus terminum competentem, quo nostro se conspecturi praesentent. Cateum quoniam principio protestatus est praesens M. nobilem virum Simonem de Surrentino, germanum Archiepiscopi memorati, & quosdam alios ipsius Archiepiscopi consanguineos multa impedimenta per suam potentiam praestitisse, quominus probationis copiam in nostra praesentia secum haberet, cum quosdam induxerit ad jurandum, ne adversus Archiepiscopum aliquid dicerent, & alios minis, ac terroribus a perhibendo testimonio munitur accere; Nos ex officio nostro super hoc providere volentes, mandamus ut generaliter feras excommunicationis sententiam in omnes, qui aliquid impedimentum ipsi M. praestare praesumpserint in testibus produendis. Mos autem, quos, sicut dictum est, jurasse confiterit, quod contra Archiepiscopum nihil dicerent, devocentis juramento hujusmodi non teneri, quia minus valeant in hac causa perhibere testimonium veritati. Si quis autem de consanguineis Archiepiscopi aliquos de testibus praesumpserit impedire, quia verisimile non videtur, ut eo invito talia fierent, & ob hoc non caret scrupulo societatis occulte, eo quod si voluerit, poterit prohibere, cum secundum legitimas functiones ostendat se iniquam litem fovere, ac experti debeat iudicis auctoritatem elusam, qui defensionis copiam subtrahit adversario, eundem Archiepiscopum ab officio Pontificali suspendas, & facias sub lato appellacionis obstaculo manere suspensum, donec illum fecerit a tali u. praesumptione cessare. Tu denique, frater Archiepiscopo, &c. Datum Laterani viii. Idus Novemb. Pont. nostri anno sextodecimo.

NOTAE.

1 a Idem. Idem, tantum habetur in hac sexta collectione, & in quarta, sub hoc tit. c. 4. sed supplenda est hac inscriptio, & littera textus restituenda ex epistola Innocentii III. edita a Bolquetto l. 4. regestr. 16. ep. 139. ubi reperitur hic textus prout in praesenti transcribitur. De Ecclesia Neapolitana, & ejus Praesulibus nonnulla adduxi in e. fin. de ser. hic non videtur, c. 2. de consuet. b Surrentina. Surrentum, nunc Sorrento, seu Sorrento, civitas est Archiepiscopalis in Campania. Mela l. 2. de situ orbis, c. 4. jam a primis Ecclesiae saeculis Cathedra Episcopalis celebrata: sicutem ejus Praesul Rolarius dicitur subscripsit Synodo prima Romanae sub Symmacho. c Regis videlicet Siciliae. Otho enim IV. Rex Germaniae, electus, & coronatus fuit Imperator anno 1209. major animo, cupiditateque, quam consilio, aut religione recuperandi iura Imperii, & ita manu hostili cepit invadere in Sicilia, & in Flaminia terras Ecclesiae Romanae, & in Apulia, & Campaniae ditionem Frederici Regis Siciliae, ejusdem Ecclesiae beneficiarii; & cum moitus frequenter ab Innocentio III. ab invasione, & usurpatione cessare renuisset, excommunicatus fuit, atque per omnia praedicta lo-

ca ita denunciatus, ut nullus ei favere praesumeret; & tandem de consilio Cardinalium, & Episcoporum in Synodo ea de causa celebrata Innocentius eundem Othonom tanquam Ecclesiae hostem declaravit, eique jus imperii abrogavit, omnes Imperii subditos sacramenti religione, qua tenebantur, ei obnoxii, abolvens, ut referet ex Godifredo, & Emilio Spondanus in continuat. Baronii anno 1209. Et sequenti: quare in praesenti Otho appellatur reprobus, & refertur Surrentinam civitatem proditorie traditam fuisse Othoni procurante Alserio. d Sententiam incurranat. Non solum videlicet hoc casu specialiter inflicta, verum & pluribus Ecclesiae canonibus statutam. Concil. Andegav. can. 6. Qui in tradendis, vel accipiendis civitatibus interfuisse fuerint detecti, non solum a communione habeantur alieni, sed nec conviviorum quidem admittantur esse participes. Et c. si quis clericorum 25. 11. q. 1. Concil. Tolet. 7. cap. 2. Si quicumque quicumque argumentatione Reges odiose molestare, aut laedere fuerint conatus, sit anathema in Christianorum omnium coetu. Et can. 4. Tolet. 6. can. 14. 17. & 18. Tolet. 7. can. 1. Tolet. 12. can. 12. Tolet. 16. can. 9. Aquilgran. 2. can. 12. p. 2. Mogant. sub Rab. can. 5. Meldente can. 14. & 15. Vvormat. can. 43. refert Ant. Augustinus in epis. juris, lib. 35. tit. 2. c. Ceter.

de Calabr.) Unde recte inferebat, irregularem esse, juxta
 textum in *o. si celebras, de elec. excom.* ubi dicitur.
 Concil. Nican. can. 41. lib. 2. Neque eos, qui
 cum inimicis morantur, ad accusationem, vel testimonium
 recipiendos. *Et can. 45.* Neque accusatoribus suspectis, &
 de inimicorum domo prodeuntibus est credendum. *Et*
accusatoribus inimicis 3. cum aliis 3. q. 3. *de retractatis* 10.
 Joan. Papa ep. 1. *de retractatis* 10. Inimicis accusatori-
 bus, vel de inimici domo prodeuntibus, seu qui cum ini-
 micis morantur, non credatur, ne irati nocere cupiant, ne
 illi se velint ulcisci. *Et l. 2. de testibus, l. 1. §. quosmo-
 dum ff. de q. Novel. de testibus, §. si vero.* Quam tamen
 dicitur inimicitia sufficiens ad repellendum testem, exponit
 Revardus lib. 5. var. c. 15. Philippus Camerarius *horar. suc-
 cess. centur.* 1. a. 91.
 Confessores.) Cornel. Papa ep. 2. in medium: Summo-
 nere providendum est, ne pastorem suum oves, que ei
 commissa fuerunt, reprehendere, nisi a fide exorbitaverit,
 neque accusare praesumat, quoniam tales accusationes vim
 non habent, nec ei nocere possunt. *Polagius II. epist. 1. in
 sine.* Omnes qui adversus patres armantur, ut patrum in-
 valores, & mactatores, infames esse censentur. *Idem ep. 3.*
 Non sunt confitendi, sed reprobandi, qui Praetatos suos
 reprehendant, vel accusant. *Et c. clerici, cap. clericus 3.
 2. qu. 7. cum aliis congeitis ab Ant. Augustino in epist. jur.
 lib. 30. tit. 1.*
 De criminibus.) Cap. veniens 10. ubi notavi, hoc tit.
 i. Secus infra factis.) Ut probavi in c. 1. de confesse.
 i. Anacleti.) Relati in c. accusatores 2. q. 5.
 i. Calixti Papa.) Relati in c. confessoribus 5. 2. q. 4.
 i. Excepit criminibus.) De heresi ita cavetur in epistola 2.
 Fabiani: Si a fide devierit Episcopus, erit corrigendus
 prius secreto a subditis suis: quod si incorrigibilis
 (quod absit) apparuerit, tunc erit accusandus ad Prima-
 tum suos, aut ad Sedem Apostolicam. *Refert Ant. Augu-
 stinus lib. 30. tit. 10.*
 i. Gelasii.) Relati in c. quapropter 2. q. 7.
 i. Mlyriae ac Graeciae.) Praecipue Dardaniz, ut fuisse narrat
 Baronius t. 7. anno 518. c. 519.
 i. Triclinium.) Triclinium Graeci dixerunt, quando terni
 circum mensam lectuli ponantur, ut refert Gerard. Vossius
 de vitis sermon. lib. 1. c. 19. in princip.
 i. Libellum inscriptionis.) Inscriptio nihil aliud est, quam
 professio accusatoris, qua proficitur se exempli gratia Alferium

deserre: id autem fit vel libello judici porrecto, vel in co-
 dice publico, querela deposita, l. 3. ff. de accusat. l. 2. C. de
 testib. rurs. l. 3. C. de his qui accusant, l. 4. C. Theod. de cust.
 rone, tunc igitur inscriptionem sequitur subscriptio, qua is
 qui libellum accusationis porrexit, ad talionis poenam se ob-
 ligat, si calumnia convictus fuerit, de l. 2. C. de testib. l. 3.
 §. item subscriptura. l. 7. in princip. & §. 1. ff. de accusat. Un-
 de apparet aliquid interesse inter inscriptionem, & subscrip-
 tionem, licet promittat seipsum accipiantur, ut in l. ult. ff.
 de privac. delicti, l. ult. ff. de foris, l. 2. C. ad Turp.
 q. Oblata.) Cum enim exceptio libelli incepti, & obcuri,
 vel vitiosi dilatoria sit, & opponi debeat ante litem con-
 testatam, est postea opponatur, non redditur iudicium retrocul-
 lum, l. pen. C. de excep. l. Pompeianus qd. §. pen. l. qui
 procuratorem 57. ff. de procurat. l. 23. C. de i. C. eod. tit.
 e. Mensam, & Confessores.) Juxta legem 3. ff. de accusat. ubi
 formulam accusationis ita concipit Paulus: Cos. illis, de
 illo, apud illum Praetorem, vel Proconsulem, Lucius Titius
 professus est te Mariam lege Julia de adulteris ream de-
 ferre. Imo diem, & horam, si reo interfit, ad defen-
 sionem exprimi debere docent Bart. in leg. 5. ff. de public.
 iudic. Ferrarius in praxi, ritual. 53. gloss. 17. Gail. lib. 1. c. 64.
 ut reus possit probare coarctatam, c. ad nostram, ubi
 dixi, de probat.
 i. Manifeste constaret.) Hinc aperte probatur sententia
 eorum, qui docuerunt, quod licet processus ineptus sit, tamen
 si postea probatum fuerit delictum, libellus subsistit. Ant.
 Matthaeus de crimin. tit. de accusat. c. 7. n. 8.
 i. Iudicis auctoritatem delusam.) Quae ratio deducta est ex l.
 pen. C. de postul. & affectur in cap. 4. de testibus cogend. & a
 Platone lib. 12. de legibus, his verbis: Est lex, si quis ali-
 quem prohibuerit in iudicium venire, vel ipsum, vel testes,
 u. Praesumptione cessare.) Quia prohibere cognatos poterat,
 & non prohibendo, crimen fecit suum, l. 4. ff. de noxal. quae
 sententia in iure nostro obvia est, c. facientes, 68. dist. 8. c. re-
 vor, 83. dist. c. quod pater 23. quest. 3. c. negligere, 2. quest. 7.
 lege scientiam, ff. ad l. Aquil. l. 11. de noxal. ad. lege Imper-
 tor, qui sine manus. l. 1. §. 1. si famul. furr. fer. dir. Seneca
 de benef. lib. 1. c. 10. Indignum si eripere latronibus po-
 tero, clamore sublato, salutare vocem homini non pige-
 bit emittere. *Et Apuleius de Asina Stavo lib. 7.* An ignoras
 eos etiam, qui mortuarius auxilium salutare denegarunt,
 quod contra bonos mores id ipsum fecerunt, solere puni-
 ri? *Probavi late in c. 1. de rescriptis.*

C A P U T XLVI.

Idem a Magdeburgen. Archiepiscopo, & Praeposito Seburgen.

Constitutis in praesentia nostra procuratore dil. fil. b. A. fororis nobilis viri Marchionis Misnen. & nuncio Il-
 lustris Principis Bohemorum, dil. f. n. P. sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem concessimus auditorem, coram
 quo proposuit procurator Nobilis memorata, quod cum olim ea significante, ad nostram audientiam pervenisset,
 quod praedictus Princeps eam duxisset legitime in uxorem, & XIV. annis, & amplius velut conjugem legitime
 pertractasset, & filii, & filibus susceptis ex ea, e. Pragen. Episcopus ad petitionem & mandatum ejusdem Principis,
 ipsa volente ad ipsum accedere, ut suas proponeret coram eo actiones, sed a d. satellitibus ejusdem Principis est
 prohibita, qui ei bis, vel ter prohibuerunt ingressum, post ap. ad nos interpositam divortii sententiam promulgat-
 set, a qua praefata Nobilis per suum Capellanum intra x. dies fecit ad nostram praesentiam provocari, &c. *Et infra:*
 Nos igitur intellectis per Cardinalem praedictum, quae fuerunt hinc inde proposita, attestaciones pro Nobili memo-
 rata receptas, nec approbandas duximus, sed eas tempore discussionis decrevimus reservari, ut tunc pro illis,
 vel contra illas a partibus allegetur: per Ap. f. pp. m. quat. partibus ad locum idoneum con-
 vocatis, omni excusatione, & contradictione cess. eos recipiat testes, quos Nobilis ipsa, vel pro se, vel Principes
 pro parte sua, cum nondum testificata didicerit, super processu Pragenis Episcopi, vel posteriorum iudicum duxe-
 rit producendos: & Nobilis ipsa vel testes, quos prius induxerit, vel alios, si voluerit, inducere non vetetur,
 cum non renunciarit testibus producendis.

NOTÆ.

Magdeburg.) Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. c. 5. De Magdeburgen. & Salisburg.*
 Ecclesis plura notavi in c. quanto de translat. Episcop.
 b. A.) Anna videlicet foror Marchionis Misnenis, Principis Othocari, scilicet Uladislai Regis filii, qui anno 1197.
 a Philippo Imperatore manu propria coronatus Mogantie in conventu Principum tertius Rex Bohemie fuit, a quo tempore
 Regia dignitas continuata est, ut refertur Aubertus Miraeus de rebus Bohemicis c. 2. Aeneas Silvius *hist. Bohemic.*
 cap. 27.
 c. Pragenis Episcopus.) Nicolaus videlicet, antea ipseus Ec-
 clesie Canonicus. Praga est civitas nobilis, imo caput Bohem-
 iae: in ea Ecclesiam Cathedralis construxit Boleslaus Pius,
 & Carolus IV. anno 1344. quam Metropolitanam honore de-
 corari per Clement. IV. Pontificem curavit.
 d. Satellitibus.) Eiusdem Principis videlicet, non Episcopi,
 ut aliqui voluerunt: & notantur Hostiensis, & Alferrera.
 U.) Facilius percipiatur huius textus casus, transcribere ope-
 ra pretium duxi aliam epistolam ipsius Innocentii editam a
 Guillelmo Sireto in sua collectione epistolarum Innoc. fol.
 380. (Ex conquestione nobilis mulieris A. nobis innotuit,
 quod cum dilectus filius Dux Bohemie illam duxisset legitime
 in uxorem, & ipsam viginti annis, & amplius velut uxorem
 legitimam pertractasset, filiis, & filiabus ex ea susceptis,
 eandem fundente humani generis inimico, a tuo consorcio
 separavit: & N. Pragen. Episcopus, convocato quorundam

Praetorum consilio in quodam monasterio, ad petitionem,
 & mandatum ipsius Ducis, ipsa volente ad eos accedere, ut
 suas coram eis proponeret rationes, militibus ejusdem Ducis
 prohibentibus ei bis, vel ter ingressum, ex parte illius ap-
 pellatione ad Sedem Ap. interposita, sententiam inter eos
 divortii non est veritus promulgare, ac demum ipse Dux
 quamdam aliam, videlicet forem charissimi in Christo fi-
 lii nostri Illustris Regis Ungariae superlaxit, Quoniam igitur
 haec salva conscientia praeferre non possumus indelicatam,
 cum secundum Apostolum finis omnibus debitorum, discre-
 tioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, atque praeci-
 pinus, quatenus vocatis ad praesentiam vestram, quos pro-
 pter hoc noveritis esse vocandos, inquiratis diligentem veri-
 tatem: & quicquid inveniatis, nobis per litteras vestras in-
 timare minime differatis: ut ex vestra relatione sufficienter
 instructi, liberius in ipso negotio, prout ad nostrum officium
 pertinet, procedere valeamus. Nullis litteris, &c.) Ex his
 duabus epistolis facile percipitur praefatus casus. Othocarus
 Princeps Bohemie, qui & Primislavus dicitur est, cum duxisset
 in uxorem Annam forem Marchionis Misnenis, & per
 viginti annos in conjugio remansisset, susceptis filiis, fili-
 abusque, ea superfluo superinduxit Canigandum forem Re-
 gis Ungariae, filianque Regis Moraviae, ut narrat Sylvius d.
 c. 27. Franciscus Dubravius *hist. Bohem. lib. 17.* quare cum Anna
 querelam institueret vellet apud Episcopum Pragensem, qui
 est Ordinarius Bohemie, c. veniens, de accusat. prohibita est
 a satellitibus Othocari Episcopus adire; idemque Episcopus
 coactus est ab eodem Othocaro inter ipsos divortii sententiam

Calli re-
fetur.

tiam proferre. Anna tam a praedicta divortii sententia,
 quam ab illo gravamine, quod ei non patere aditus ad Fi-
 scopum, ad Innocentium appellavit, qui iudices in causa
 dedit, a quibus statim Othocarus appellavit. Sed iudices ni-
 hilominus in causa procederunt, testes productos ab Anna
 recipiendos; quam testium productionem impugnavit Othoca-
 rus, tum quia facta erat ante litem contestatam; tum quia
 appellatio iam erat interposita. E contrario Anna aderebat,
 licet fuisse contestatam apud Episcopum Pragensem, & eor-
 am iudicibus delegatis Othocarum contumaciter abfuisse:

quare testes recipi poterant, juxta adducta in cap. 1. ut litem
 non consist. Othocarus replicavit, se paratum esse consumma-
 ciam purgare, ideoque nec ipsum debere repelli ab agendo,
 nec testes productos ab Anna esse admitteandos. Quibus pro-
 positus coram Innoc. III. ipse rescribit Archiepiscopo Magde-
 burg. & Archidiacono Salisburg. ut testes reciperent produ-
 ctos, tam ab Othocaro, quam ab Anna, super gestis ab E-
 piscopo Prageni, & iudicibus delegatis, cum adhuc attesta-
 tiones publicae non fuissent: quam decisionem exposui in c.
 fraternitatis 17. hoc tit.

C A P U T XLVII.

Idem in a Concilio Later.

Licet ex quadam necessitate praeter communem formam olim fuerit institutum, in consanguinitatis, & affinitatis
 gradibus computandis valere testimonium de auditu, cum propter brevem hominum vitam testes de visu depo-
 nere non valerent usque ad gradum septimum computando; quia tamen pluribus exemplis, & certis experimentis di-
 dicitur ex hoc multa pericula contra legitima conjugia provenire, statimur ne super hoc recipiantur de cetero tes-
 tes de auditu, cum jam quartum gradum prohibitio non excedat, nisi personae graves exiterint, quibus sit fides
 merito adhibenda, & ante litem motam testificata didicerint ab antiquioribus quidem suis, non e. utique uno, cum
 non sufficeret ille, si viveret; sed duobus ad minus: nec ab infamibus, & suspectis, sed a fide dignis, & omni
 exceptione majoribus: cum satis videretur absurdum, illos admitti quorum repellerentur auctores. Nec tamen si unus
 a pluribus, vel infames ab hominibus bonae famae acceperint quod testantur, tanquam plures idonei testes debent
 admitti, cum secundum ordinem solum iudiciorum non sufficiat d. unius testis assertio, etiam si praesidiali dignita-
 te praefulgeat; & actus legitimi sine infamibus interditi. Testes autem huiusmodi proprio juramento firmantes, quod
 ad ferendum testimonium in causa ipsa odio, vel amore, vel timore, vel commodo non procedant, personas ex-
 pressis nominibus, vel demonstratione, vel circumloquutione sufficienti designent, & ab utroque latere singulos e
 gradus clara computatione distinguant: & in suo nihilominus juramento concludant, se accepisse a suis majoribus
 quae deponunt, & credere ita esse. Sed nec tales sufficiant, nisi jurati deponant se vidisse personas, vel saltem in
 uno praedictorum gradum constitutas, pro consanguineis se habere. Tolerabilis est enim aliquos contra statuta ho-
 minum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare.

NOTÆ.

Concilio.) Lateranensi videlicet, de quo nonnulla no-
 tavi in c. 1. de summa Trinit.
 b. Non excedat.) Cap. non debet, ubi dicitur, de consan-
 guinit. & affin.
 c. Non utique uno.) Et testes ipsi de auditu deponere de-
 bent, se audivisse a pluribus, & saltem duos nominare,
 in quibus consentiant; & non sufficit, si unus dicat audi-
 visse a duobus, alius vero ab aliis duobus. Tulch. ver-

bo Testes, consens. 180. num. 39. Menochius de arbitr. casu 473.
 num. 23.
 d. Unius testis.) Ut probavi in c. veniens 10. hoc tit.
 e. Singulorum gradus.) Cap. ius, ubi exposuit Cajacius, de con-
 sanguinit. & affin. vel incipiendo a communi parente, vel sal-
 tem a fratribus, ut docent, pluribus relatis, Farinac. de tes-
 tibus qua. 69. n. 117. Thra. de retract. lign. §. 1. glof. 16. Gar-
 cia de benef. 7. p. cap. 15. num. 29. Locher. eod. tract. q. 11. ex
 n. 94. Mieres de major. 2. p. qu. 7. ex num. 72.

C A P U T XLVIII.

Honorius III. Praeposito Malisn. a Firman. Diac.

Per tuas nobis litteras intimasti, quod, cum causa, quae super quibusdam terris vertitur inter Canonicos Sancti
 Petri Veteris ex parte una, & G. Simonis Vvidonis Firman. ex altera, tibi fuerit ab Apostolica Sede commissa,
 dictus G. tribus mensibus post testium publicationem elapsis, testes suos interrogari postulat iterato: super quo
 quid agere debeas, Apostolice responso desideras edoceri. Nos igitur disc. tuae breviter respondemus, illum non esse
 super hoc de cetero audiendum, nisi forsam a principio illos interrogari super certis articulis postulasset, idque
 fuisset malitiose, vel negligentia praetermissum.

NOTÆ.

Firman.) Firma, seu Firmana civitas, colonia Romano-
 rum fuit, ut refert Titus Livius lib. 27. de qua ait
 Plinius Junior lib. 6. epist. ad Sabinum, qui illum rogaverat, ut
 Firmanorum ageret publicam causam: Cupio enim, & exorna-
 tissimam coloniam advocacionis officio, & te gratissimo tibi munere
 obstringere. Eius meminerunt Strabo, & Pomp. Mela con-
 gecti ab Ughel. tom. 2. Ital. sacra, fol. 742. Illud constat,
 Firman inter primas Picentinas civitates fuisse, quae lucem
 Evangelii haurerant; unde jam a primis Ecclesie saeculis Ca-

thedrali Sede decorata fuit, ut ejus originem & progressum
 referens tradit Ughel. ubi supra. Praeposito ipse Ecclesie
 missa est praefata decretalis, quam ex quinta compilatione
 Honorii III. ita transcribo.
 Ex hoc textu communiter deducitur, testes etiam publi-
 catis attestacionibus posse interrogari super articulis, de quibus
 incuria, vel dolo iudicis examinari non fuerant; & ita
 casum specialem in praesenti recenseri, in quo publicatis at-
 testacionibus testes noviter interrogari possunt, notantur Ca-
 jac. & Milyng. in praesenti, & nos jam notavimus in c. frater-
 nitatis 17. hoc tit.

C A P U T XLIX.

Idem a Vallisoleti, & Sacra b. Menia Abbatibus, Palent. & Segobien. diac. & R. Archid. Oxom.

Licet dilectus f. n. e. L. tituli sanctae Crucis Presbyter Cardinalis, quem procuratoribus ven. f. n. Burgen. E-
 piscopi, & Clericorum sanctae Mariae de Castro Sorit dedimus auditorem, ea qua procuratores ipsi pro-
 ponere voluerunt, audiverit diligenter; quia tamen procurator Burgen. Episcopi contra personas testium produ-
 ctorum in principali adhuc se velle dicere proponebat, protestans nihilominus, attestaciones partis alterius, quae
 nunc e. vacante Sede Burgen. dicantur fuisse receptae, certis de causis nullius esse momenti, cum lis per vos non
 poverit terminari, licet pars altera sententiam cum instantia postulare: illam igitur ad vos consensu partium
 remittentes, disc. v. maniamus, quod recipiat testes, quos contra f. personas productorum super principali
 negotio duxerunt producendos, quos si rursus pars altera, vel utraque voluerit reprobare, contra illos probatio-
 nes admittere procurabit, ita quod non liceat partibus ultra ad g. reprobationem testium aspirare, ne si produ-
 cendi quartos contra tertios, & sic deinceps, partibus licentia tribuatur, negotium protelatum jamdiu, diutius
 protelari contingat.

NOTÆ.

Vallisoleti.) Ita restituta est inscriptio ex quinta com-
 pilatione Honorii III. sub hoc tit. c. 2. ubi ad Innocen-
 D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. II.

tia Cironio refertur hac decretalis. Vallisoleti urbs nobi-
 lissima Castellae veteris, antea Pincia dicta, a Mauro Olit,
 & valle ubi sita est, nomen accepit; & amisso Pinciae veteri
 nomini, Vallis Oletam dicitur: habuit Ecclesiam Collegia-
 tam

tam ab anno 1118. ex concessione Gelasi II. ad petitionem Petri Aulurii, qui ipse villa primus fuit reparator: ita Collegialis exiit usque ad annum 1597. quo Cathedra Episcopalis decorata fuit iussu Philippo II. per Clementem VIII. Pont. Rom. etc. tam Cathedra Episcopalis decorata fuisse anno 50. probat Argas tom. 2. de la Poblacion Ecclesiastica, dicta anno 2. plura de hujus civitatis amplitudine congrunt Egidius Gonzalez in thesa. ipsius Ecclesie. D. Joanni cognomente Dominguez, missa est presens decisio.

b. *Suae Mem.*) Monasterium S. Mariz, & S. Joannis de Sacra Menia, est in Segobienfi diocesi non longe a Pontidosa, Ordinis Cisterciensis. Ita dictum, quia ejus fundatores sacras R. Virgini manibus, sacramenta dixerunt: illud cenobium dicitur Alfonso Imperator presenti privilegio: (In nomine Domini. Cum Scriptura nos omnibus beneficiis subeat, Ecclesie, & Ecclesiasticis viris Dei cultoribus est elemosyna precipue facienda, juxta illud Apostoli: Facite bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Ea propter ego Alfonso Imperator Hispania, una cum uxore mea Berengaria, grato animo, voluntate spontanea, nemine cogente, pro Dei amore, pro mea, parentumque meorum salute, pro peccatorum nostrorum remissione, Ecclesie S. Mariz & S. Joannis de Sagrimenta, Dominoque Raymundo ejusdem Ecclesie Abbati, ceterisque fratribus in eodem loco sub regula S. Benedicti in perpetuum mansuris, & modo manentibus omnem hereditatem, quam in Sagrimenta habeo, & mihi jure regio pertinet, hereditariam dono, & hereditario modo semper eis habendam concedo. Dono, inquam, meam Serenam de illa Alda Falconis, &c. Facta charta in Arevalo, decimo septimo Kalendas Martii, anno nono Imperii prescripti Alfonso Imperatoris, era M. CLXXXII. ipso predicto Imperatore imperante in Toledo, Legionis, Saragocia, Nagera, Castellae, Gallicie.) Refert Manrique re. 1. *anual. Cisterciensis, anno 1141. c. 8.* ubi plura de hoc monasterio congerit. Hujus monasterii Abbat Raymundo II. dicto missa est presens decisio, cuius etiam meminit idem Manrique anno 1223. cap. 1. *num. 50.* & Vivar. in *Joanna Eremite, vindicato, in fine, Marc. Max. §. 11.* De Ecclesia Palentina, Segobienfi, & Oxomoni jam aliqua notavi in *c. de hoc, de Simon.*

c. L.) Leo videlicet, ex Canonico regulari Congregationis S. Prigidiani Lucensis Diaconus Cardin. tit. S. Lucia, ut post Gicconium refert Cironius in *notis ad hunc textum, in 6. capit.*

d. *Castro Soris.*) In *cap. constituti, in Sede vacante*, ubi est alia pars hujus decisionis, legitur de Castro Sororum: Cajacius in presenti legit de Castro Soris; sed legendum est, de Castro Geriz, in qua villa est Ecclesia Collegialis, & in Ecclesia Metropolit. Burg. est dignitas Archidiaconi de Castro Geriz, & ita inter Canonicos Ecclesie Sancte Marie de Castro Geriz, & Archiepiscopum presens controversia tractabatur.

e. *Vacante Sede Burgenfi.*) Defuncto enim 18. die mensis Martii, anno 1217. Don Garcia a Contreras, secundo hujus nominis, vacavit Sedes Burgenfis usque ad annum 1214, in quo die 22. Junii electus fuit D. Mauricius, unicus hujus nominis, natione Gallus, qui in Hispaniam venerat cum D. Eleonora filia Regis Anglie, Alfonso VIII. Regis Castellae conjugis, ut refert Egidius Gonzalez in *theatro ipsius Ecclesie Burg.*

f. *Contra personas.*) Quia adhuc attestations non erant publicae, alias non liceret in personas, sed tantum in testimonio opponere, atque obviare, *cap. presens, probavi, hoc tit.*

g. *Ad reprobandum testem.*) Sicut instrumentum alio instrumento merito rescili potest, l. 2. *C. si minor se minor. l. penult. C. de contrah. stipul. l. generaliter, C. de non num. pecun. l. penult. c. de testibus probant possunt femel, & iterum, ita testes alii testibus probant possunt femel, & iterum, non deinceps, nisi nullus esset litium finis, si testes reprobandos alius rescilire liceret, & tunc eos per alios testes partes reprobande intendunt: unde sentus hujus textus in hac parte singularis est, quod testes probatorios, & eorundem reprobandos rescilire licet, reprobandos autem reprobandorum reprobande, & impugnanone non licet, idque propterea, ne processus in infamum protendatur: & quia hec reprobandio tantquam odiosa restringenda est, computatur hac triplex productio, sive actor & reus utrinque probatorios testes in principali negotio simul induxerit, quo casu servatur aequalitas inter utramque; sive actor solus actor primo produxerit: quod si adversarius convenit reprobandos producat, eodemque actor deinde reprobande, non admittitur reus conventus ad ulteriolem reprobandionem, nec potest inaequalitas hinc ulla colligi, quasi ex illis tribus productionibus una tantum reo convento, & datur actori competant, tum quia reus sibi imputare debet, cur suos probatorios testes non induxerit, tum quia si ipse reus solus ad probandum exceptionem testes produxerit, idem in auctore contingat predictos testes impugnanone volente, *cap. 2. hoc tit. in 6.**

COMMENTARIUM.

Cajacius in presenti existimavit controversiam, de qua in hoc textu, veritari inter Episcopum Burgensem, & Clericos S. Mariz de Soris, super quibusdam possessionibus, & iure eligendi Episcopum Sede vacante: sed fallitur perdoctus hunc nam is tractabatur inter Episcopum Burgensem, & Clericos Ecclesie Sancte Marie de Castro Geriz, super iure eligendi propriam Pralatam, quem eligere intendebat Episco-

pus Burgenfis: & super pluribus possessionibus, & rebus, quibus predicti Clerici se ipsos esse conquerantur. Et licet ex accidenti, Sede Episcopali Burgenfi vacante, testes recepti fuissent, ut in presenti refertur, & in *cap. constituti, in Sede vacante*, tamen tunc iam cum Episcopo Burgenfi ageretur, ut refertur ab Innocentio III. lib. 1. *regul. cap. 12. dist. 61.* ubi cum refertur causa hujus iuris, & cum non libetam intra corpus juris, transcribere deservi. Sic ait Innocentius: (Cum in causa, que inter Burgensem Ecclesiam, & Clericos Sancte Mariz de Castro Soris, super quibusdam Ecclesiis & rebus alius vertitur, ad dilectum filium Abbatem de Retorta, & Priorem de Cornibus fuerint a Sede Apostolica littere impetratae: ipsi reputantes venerabilem fratrem nostrum Burgensem Episcopum coartum, in eorum petituram possessionem causa rei servanda partem induxerunt adversam. Verum cum super eorundem processu, quem memoratus Episcopus, utpote post appellationem ad nos legitime interpositam acceptatum, revocari petebat, inter ipsum & partis adversae procuratorem fuit in nostra presentia diutius litigatum, fallere fuit demum a nobis de ipsorum voluntate provium, & ne iam supradictarum rerum omnium possessione, quam etiam fructibus, quos nunc possunt dicti Clerici restituere, praesto Episcopo restituti, de restituendis aliis, quam cito se facultas obtulerit, idoneam exponant dicti Clerici cautionem: ad quod eos, si necesse fuerit, per vos volumus & mandamus appellatione remota, ecclesiastica censura compelli. Postmodum autem Episcopus petit coram nobis, ut Clericos ejusdem Ecclesie, qui post interdicti ab eodem Episcopo, & excommunicacionis sententias a Palentino electo & suis jurisdictionibus delegatis a nobis, propter eorum contumaciam rationabiliter promulgatas, divina praesumpta officia celebrare, praestis sententis vilipensis, poena dignetur canonica castigare, ac quorundam eorum corpora faceremus de cetero Ecclesiastica exhumari, que interim fuerant tumulata. Procurator vero predictus, tam super libertate libere sibi eligendi Pralatam, quam etiam super testibus ipsius Ecclesie, medietate domorum, molendinorum, vinearum, & hortorum, ad ipsam Ecclesiam in eodem Castro spectantium, & Ecclesiarum, ac terrarum ejusdem Castri, & circum adjacentium Eremitarum: item S. Nicolai, S. Domini, S. Caxilie, S. Jacobi, S. Stephani, S. Joannis, S. Michaelis, & S. Eulalie Ecclesiarum, & Eremitarum circum adjacentium eis: rursum S. Michaelis de Tavarena, S. Stephani de Castriello, S. Mariae de Villaflos, S. Martini, & S. Andrea Ecclesiarum cum adjacentibus eis Eremitarum universis: Terrarum quoque, ac vinearum, & molendinorum medietatis, & de Arnelas, & de Palacios, & de Fierro Ecclesiarum: necnon & de Pontifero, & de Penejosa, & de Villa Viridis, & de Alcobella, & S. Cypriani Ecclesiarum, ac Eremitarum omnium circum adjacentium eis: Procuracionum quoque & obedientiarum, & interdictorum de Valbonella, de Fonte-Lesina, & de Valvachera, & de Valvis Ecclesiarum, & medietatis de solaribus, hortis, terris, vineis, molendinis Ecclesiarum de Villa Strigo, & circum adjacentium Eremitarum, & Villamara, & de Villaquara Ecclesiarum, terrarum & vinearum Ecclesie de Quinancilla quoque, & de Fontan, de Castellana, & de Villa Ajos Ecclesiarum: medietatis insuper de solaribus, terris, hortis, vineis, & molendinis Ecclesie de Panos, & de Penekrola, cum Eremitorio, & de Pedrola cum circum adjacentibus Eremitariis: Sancte Eugenie, & S. Joannis de Pilverga Ecclesiarum, ac instituti Pralatos, & Archiepiscopos in eisdem & hereditatis eisdem apud Ormazza restitutionem humiliter postulavit. Petit quoque, ut quaedam res mobiles, scilicet thoribulum, & scyphum argentea, mulam, & mulam, centum oves, & tria iuga boum, cum apparatibus suis, duodecim porcos, & sex modios panis, doliolum vini, gallinarum quoque, & anserum, ac valentiam annonarum, que predictus Burgen. Episcopus tres menses in quadecim equitatibus expendit: tapeta duo, lanceamina tria, & totidem pulviniaria; mantas tres, calcitrant unam, manilla quatuor, fogam carralem de corio, ferum caldararum, acerum, tres azardos, videntem azardos, quatuor cassas foucellis plenas, quatuor sacra, & auricularia tria, cooperitorum unum, necnon & lectam de corio, cappam de Villa Ajos ad villam de Sibus tunc temporis depositam: duas cuppas alias de civitate Burgen ablatas, & aliam venditam in Levis, scannaria tria, carram ferream, quibus omnibus pars sua spoliata fuerat, ei restitui mandavimus. Adiecit insuper quod dicitur Burgen. Episcopus clares Sacriste abstinuit violenter a codicem privilegiorum ablatum non reddidit, donec ea qua contra ipsum, & suam Ecclesiam in eo continentur, abrahit: quodam nihilominus detrimens, que delegati a nobis iudices sub excommunicationis poena restitui praecerant. Que omnia sibi procurator predictus cum fructibus perceptis ex eis restitui postulabat, & super his satisfactionem sibi congruam exhiberi, & super his satisfactionem sibi legitime contestata, quia super utrumque propositis nobis non potuit fieri plena fides, causam ipsam de ipsorum Episcopi, & procuratoris assensu vobis duximus committendam, per Apost. scripta mandantes, & quatenus ablati Clerici ejusdem Ecclesie ad cautelam, auditis causam; & eandem, si de partium voluntate processerit, ap. rem. sine debito terminatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Alioquin ipsam sufficienter in-

structam ad nostram presentiam remittatis, praesentes partibus terminum competentem, que de nostra conspectui representent, iustam, auctore Domino, sententiam recepturae. Testes autem qui ab utraque parte fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram eandem

appel. remota cogatis veritati testimonium perhibere. Nullis litteris obstantibus, praeter assensum partium a Sed. Ap. petentis. Quod si omnes his exequendis, &c. D. no vestram ex nihilominus exequantur. Datum Roma apud S. Petrum IV. Kal. Maji, anno tertio decimo.)

C A P U T L.

Idem Proposito, & Magistro Galfrido, & Richardo de Lauduno Canonice a Rhemensibus.

Presentata nobis Garaudi b. Sueffionensis Archidiaconi peticio continebat, quod, cum inter quondam Richardum praefectorem suum ex parte una, & Capitulum S. Petri Sueffionensis ex altera, super e jurisdictione, quam idem Archidiaconus se in dicta Ecclesia ratione Archidiaconatus proponere habere, questio verteretur, tandem de viroborum bonorum consilio Bernardum Cancellarium Parisiensem, & Magistros Radulphum Rhemen. & Petrum Brion Clericos super hoc arbitros elegerunt, qui cum suscepto arbitrio ad in praedicto negotio processissent, quod productis testibus, & depositionibus publicatis eorum, receptisque allegationibus, utroqueque actis omnibus a redactis in scriptis, & sigillorum suorum impressione signatis, arbitrium proferre deberent, eisdem differentibus pro suo libito voluntatis, unus ipsorum viam fuit universa carnis ingressus, & alius est in Archiepiscopum Ebreduensem assumptus, qui distat per duodecim & dictas & amplius ab eisdem; unde cum praedicto R. solo minime f. arbitrari valente, videatur arbitrium expirasse, nobis humiliter g supplicavit, ut viris discretis, qui secundum arbitrii acta praedicti ad decisionem causae procedere debeant, scribere dignemur. Ideoque disc. v. m. quod si est ita, causam ipsam juxta hujusmodi acta, sub lato ap. obit. sine debito terminatis, optione tamen eidem Capitulo secundum functiones b. legitimis reservata, ut vel recipiant depositiones eorum, qui superfuerint, productorum testium contra eos, vel eandem respuentes, consentiant ut iidem testes iterum admittantur; salvo tamen jure, quod in utroque casu eidem Capitulo competit, tam in testium personas, quam in dicta.

NOTAE.

R. *Rhemensibus.*) Ita restituenda est praesens inscriptio ex quinta compilatione Honorii III. *sub hoc tit. cap. 3.* ubi refertur presens decisio. De Ecclesia Rhemensi plura addaxi supra.

b. *Sueffionensis.*) De Ecclesia Sueffionensi nonnulla notavi supra.

c. *Super jurisdictione.*) Quam habere poterat Archidiaconus ratione conductuadnis legitime scripta, ut probavi in *cap. ad hoc, de offic. Archid.*

d. *Redactis in scriptis.*) Per notarium, non vero per ipsos arbitros, ut exponit Beronius in *capite quantum, de probat. n. 76. c. Dietas.*) Quomodo computentur dietae in utroque jure, expostui in *cap. nonnulli 27. de rescript.*

f. *Arbitrari.*) Juxta adducta in *c. uno, de offic. deleg. ubi hac verba late explicavi.*

g. *Supplicavit.*) Ex hoc textu recte probatur, quod licet

compromissum ad successores non transeat, nec ad haeredes, *cap. final. ubi probavi, de arbitris*; tamen si compromissum factum sit a Pralato super re ipsius dignitatis, ut factum fuit hic ab Archidiacono, etiam non facta successoris mentione, ad successorem transit. Covar. in *cap. requisisti, quod. 8. de testam.*

h. *Sententiae legitimas.*) *L. penult. Cod. de arbit. l. ult. Cod. de testib.* juxta quas si ante litem contestatam in iudicio summario postulare produci testes, & postea in iudicio plenario late contestata iterum postulare super eisdem re, etiam si publicati ante litem contestatam fuerint, *c. veniens 38. hoc tit.* multo magis & producti in iudicio arbitratorum recte producantur in sequenti recto, & ordinario iudicio, maxime consentiente eo, contra quem producantur, cui datur optio in *d. l. penult.* recipiendi eos testes, perinde ac si in iudicio ordinario testimonium dixissent, vel consentiendi, ut iterum in iudicio ordinario testimonium dicant, ut jam notavi in *cap. causam 12. hoc tit.*

C A P U T L I.

Idem a Parmensi Episcopo.

Nuper nobis A. Presbytero supplicante, ut cum ipse ordinem Fratrum b. Minorum causa probationis intrasset, & exinde nulla facta professione, infra e annum existeret, super hoc providere misericorditer dignemur: nos tibi dedimus in mandatis, ut si res taliter se haberet, denunciaret ipsius, denunciaret autem regularem observantiam non teneri. Dicto ergo presbytero, & fratre Joanne in partibus tuis f. Minorum Fratrum Custode, cum quibusdam aliis propter hoc in tua presentia constitutis, dictus Custos ad probandum, quod idem presbyter professorem perfectisset, quosdam & Ordinis sui testes induxit, qui deposuerunt super hoc (contradictis presbytero) non jurati: unde praefatus presbyter asserbat, eorum testimonium nullum esse; praedicto replicante Custode, quod secundum Ordinis sui f. regulam jurare non poterant, nec debebant, sed eorum verbis simplicibus in hujusmodi standam erat. Quare nos humiliter supplicasti, ut quid agendum sit tibi, te redderemus nostris litteris certiorum. Nos ergo f. t. breviter respondemus, quod nullius testimonio, quantumcumque Religiosus existat, nisi g. iuratus deposuerit, in altius praesudicium debet credi.

NOTAE.

a. *Parmensi Episcopo.*) In sexta collectione legitur *Parmensi Episcopo, Cajac.* autem in presenti, nescio quoniam fundamento, existimavit legendum esse *Molensis*: in quinta vero compilatione, ubi *sub hoc tit. cap. 4.* reperitur hic textus, legitur *Parmensi*: sed retinenda est lectio *Parmensi*, ut jam probavit Cironius in *notis ad hunc textum. Parmensis* civitas est in Italia, in Vestinis, quam *Cicero de Seneca* vulgus appellat: civitas est perantiqua, Paulus Diaconus lib. 2. *c. 19.* & jam notavi in *c. qualiter, de elect. Guaderico* electo in Episcopum Parmensem ex ordine Carthusiensis anno 1200. missi est presens decisio, ut notavi ipse Ciron. in *appendice ad notat. fol. 98.*

b. *Fratrum Minorum.*) D. Francis, qui Minores vulgo appellatur.

c. *Intra annum.*) Qui annus probationis dicitur, sive noviciatus in eodem Ordine, *c. 2. 17. q. 2. c. ad Apostolicam, c. de parte, de regul. ubi dicimus; & eo pendente, ac nulla facta olim professione, tacita, vel expressa, licebat propria auctoritate resilire a monasterio.*

d. *In partibus Minorum Fratrum Custode.*) Custodem hic interpretatur Cojucius, & Cironius in presenti, Guardianum. Sed majorem Fratrum Minorum Ministrium, Custodem, de quo hic agitur, fuisse constat ex illis verbis, & in partibus tuis, non aut Honorius in illa, *vel illa dicitur*, sed in partibus tuis. Unde credo Custodem hic accipi pro Provinciali, seu D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. II.*

Custode, qui olim in ordine Seraphico Fratrum Minorum usu venerat; apud eos enim Custos aliquando accipitur pro Ministro Generali, ut in *cap. 8. regule*, ubi dum agitur pro quibus rebus deponendus sit Minister Generalis, dicitur, quod tunc fratres illi, quibus electio data est, in nomine Domini alium possint sibi eligere in Custodem. Aliquando sumitur pro Ministro Provinciali in eodem capite & ibi: *Et si aliquo tempore appareret universitati Ministrorum Provincialium, & Custodem.* Erant etiam apud eos olim alii Custodes, qui praesidebant certis Guardianis, & parebant Ministris Provincialibus, de quibus jam oblietis agit Pr. Emmanuel Rodriguez in *Manuali Pralato tom. 2. quod. 18. art. 1.* Unde Custos in presenti accipi debet pro Custode Ministro Provinciali, qui in partibus illis praerat.

e. *Ordinis sui.*) Cum enim per eos tantum probari possit professio, tamquam in Capitulo facta, testes ejusdem communitatis, & Capituli admittuntur, *cap. 6. ubi jam notavi, hoc tit. Balboa in c. 3. loca, de probat.*

f. *Regulam.*) Monachi, ac religiosi jurare passim prohibuit reperitur in regula S. Perreoli, *c. 23.* in regula Cesarii Arelatensis ad Monachos, *cap. 4. Conell. Aquigran. act. 43.* ibi: *Ut non sint licet sermone iuramenti, aut assercionis proferre nisi sicut 55. PP. soliti fuerant loqui.* Quamobrem lib. 2. *legum Long. tit. 47.* prohibetur Episcopis, presbyteris, clericis, & monachis, & sanctimonialibus jurare, etiam in iudicium citatis; non quia jurare, modo adfit veritas, iustitia, & iudicium, sit malum, *cap. est Christus, de iurjurand.* qui et-